E. II. 5.



SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE.

CONTINENS

VITAS EX LEXICO BIOGRAPHICO

IBN-CALLICĀNIS.

LArab.H
A2866vP

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE.

CONTINENS

VITAS EX LEXICO BIOGRAPHICO

IBN-ĊALLICĀNIS,

QUAE NON EXSTANT NISI IN CODICE AMSTELODAMENSI,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI GUILIELMI TYDEMAN,

JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORDIN.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JANUS PIJNAPPEL GER. FIL.,

AMSTELODAMENSIS,

AD DIEM VI JUNII MDCCCXLV, HORA II—III.

IN AUDITORIO MAJORI.

389819
11 3.41

AMSTELODAMI,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA C. A. SPIN & FILII.

MDCCCXLV.

TACONI ROORDA,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. ET THEOL. DOCT., REGII INSTITUTI BELGICI SODALI, LINGUAE JAVANICAE IN REGIA ACADEMIA DELPHICA PROFESSORI,

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO,

HOC SPECIMEN

AUCTOR

D. D.

Cogitanti mihi de specimine in literis Arabicis edendo et hanc meam cogitationem cum V. Cl. Weyers communicanti, hic auctor mihi fuit ut ederem ex codice Instituti Regii Belgici Lexici biographici Ibn-Callicānis eas vitas, quas alius nullus huc usque cognitus ejus libri codex contineret. Codicem V. Cl. van Lennep benigne mihi concessit. Primum vitas eas quadraginta esse numero ex Conspectu Tydemanni[1] *intellexi, mox vero, de his sedecim a V. Cl. Wüstenfeld in codice quodam suo repertas esse videns, viginti quatuor tantum mihi restare edendas. Harum tredecim pro specimine edere constitui, reliquas postea ut spero editurus, adjecturusque lectiones variantes in vitis illis sedecim, a V. Cl. Wüstenfeld jam editis.*

V. Cl. Weyers in epistola ad me data sibi has vitas non ab Ibn-Callicāno scriptas esse videri dixit, argumenta tamen quibus hanc suam sententiam confirmaret non addens, id quod ideo imprimis ingratum mihi accidit, quod hac de causa ore colloqui prohiberet Viri Clarissimi morbus, cujus finem brevi post mors esset allatura. Nam argumenta quidem inveniri possunt, quae Viri Clarissimi opinioni faveant, sed dubito an satis valida reperiantur, ut certum iis niti possit judicium. Dicunt enim vitas non legi in autographo, quod invenerit Cureton, quoque usus sit de Slane. Sed constat non statim ita ab Ibn-Callicāno opus suum ut nunc habemus esse editum: ut hae vitae ex priore quadam operis adornatione esse possint. Provocant etiam ad praefationem, in qua dixerit auctor se non daturum vitas omnium sociorum Mohammadis nec eorum asseclarum, seque nullum memoraturum Calīfam, metu ne in majorem molem opus cresceret. Sed potest haec praefatio ad seriorem pertinere aetatem. Nam si vere ab Ibn-Callicāno vitae sint conscriptae, rem ita nobis proponere possumus, eum primum de Lexico cogitasse, quod omnes omnino comprehenderet viros paulo illustriores, sed quum jam videret hujus sui operis ambitum fore nimium, Calīfas et proximos Mohammadis aetati viros postea omisisse. In altera hac editione omittendi erant etiam articuli manci;

[1] Ampla in hujus libri Prooemio p. 39 sqq. legitur codicis nostri a V. Cl. Willmet conscripta descriptio.

nam vitam auctor neminis addidit, cujus annum mortis ignoraret. Hanc non absolutae descriptionis speciem plurimae habent vitae, quae inveniuntur in hoc codice, vel potius hac codicis parte, nam vol. 1 et 2 in unum compacta partem constituunt Codicis, cujus altera pars deficiens duobus vulgatae editionis voluminibus suppleta est; et hinc factum est, ut sat multae vitae in margine ex vulgata editione sint expletae: nam falsa est sententia V. Cl. Willmet (l. l. p. 44), qui annotationes esse, a docto quodam Arabe ex aliorum librorum lectione margini adscriptas putabat. Haec igitur faciant, ut nondum persuasum mihi sit, has vitas ab alio quodam esse conscriptas, sed aliquando tamen confido fore ut melius hac de re existimari possit.

Pauca addenda mihi restant de mea in hac editione collocata opera. In textum Arabicum nonnullos errores irrepsisse, quos ad calcem libelli corrigendos notavi, magnopere doleo, sed hoc in reliqua aperis parte aliter esse futurum pro certo possum spondere. Praeter otiosum singulari quoque temporum numero additum, puncta diacritica in verbis notissimis omissa, quae minora sunt, nihil credo me de lectione codicis accurate monere omisisse. In versione latina quam maxime potui Arabica ad verbum reddidi. In annotatione loca ex libris editis paucissima descripsi idque non feci etiam ex M. S. an-***Nawawī***, *cujus priorem partem typis expressam mox integram in lucem editum iri speramus. Sed inerant in textu difficiliora, quae vires meas et auxilia, novitii in literis Arabicis, longe superarent. Haec animadvertentes lectores aequi bonique consulant velim, sibique persuasum habeant me nihil ardentius cupere, quam ut vires mihi augeantur, atque imperfecta perfectiora reddam, et sic ego quoque aliquid, quantumvis exiguum, ad Orientalium literarum studium promovendum contulisse, nec spem, quam fortasse optimi, quibus mihi uti contigit, praeceptores de me conceperint, prorsus fefellisse dici aliquando possim.*

VITAE

EX LEXICO BIOGRAPHICO

IBN-ĊALLICĀNIS,

QUAE NON EXSTANT NISI IN

CODICE AMSTELODAMENSI.

I. Saiċus Abū-l-Abbās Aḥmad ibn-Alī al-Qastallānī [1]. M. S. p. 21.

Socius fuit Šaiċi Abū-Abdi-*l*-láhi al-Qorašī [2], ex cujus institutione multum profecit, cujusque doctrinae abundantia in eum delata est et cujus auctoritate traditiones retulit. Omnia ejus verba quodque tradiderat collegit in magnum librum, quem legi, et ex quo haec transscripsi: Dixit Abū-l-Abbās Aḥmad ibn-Alí al-Qastallānī (gratum eum habeat Deus), mense Dū-l-higgâ anni 610 (p. C. 1214): Audivi Šaiċum Abū-Abdi-*l*-láhum al-Qorašīum (gratum eum habeat Deus) dicentem: 22.
Quum aliquando adessem Saiċo Abū-Ishaq Ibrāhīmo Ibn-Toraif (?) (gratum eum habeat Deus), venit ad eum homo et rogavit: Licetne homini adstringere se obligatione, qua se non solvat nisi voti compos factus sit? Is maxime licere respondit, et probavit traditione de Abū-Lobābâ al-Anṣārīo in historia tribus an-Naḍīr, et effato Moḥammadis (super eum sit salus): Quodsi ad me venisset, profecto Deum rogassem, ut ei peccatum condonaret, hoc vero quum fecerit, mittite eum donec Deus hac de re decreverit [3]. Itaque hanc quaestionem, inquit al-Qoraší, quum audirem, nihil sumere mihi proposui, nisi quod a Deo mihi mitti appareret. Quum ita per tres dies expectassem, opificium meum interea in taberna exercens; sellae insidenti mihi apparuit aliquis, cujus in manu res quaedam erat in

---

[1] Vid. Herb. in v. *Castelani*, et Casiri, *Bibl. Esc.* I, 479. Deest relativum in Lobbo-*l*-lobābo, quem ed. V. Cl. P. J. Veth.

[2] Herb. in v. *Abū-Abdallah*.

[3] Traditionem invenias apud Weil in libro, cui titulus *Mohammed der Prophet*, p. 428 sq., ubi tamen pro tribu an-Naḍīr memoratur tribus Qoraiṭa, id quod hoc loco melius est. Error facillime nasci potuit, quum utraque tribus fidem Mosaicam profiteretur et ex eadem stirpe originem duceret, unde fit, ut saepe conjunctim memorentur, e. g. ab an-Nawawīo.

vase, et dixit: Expecta ad crepusculum: tum de hoc edes. Quo profecto quum crepusculum advenisset fisso pariete puella mihi apparuit paradisiaca, pulcre ocellata, manu tenens idem illud vas re melli simili repletum; quae quum me adiisset terque me gustare fecisset tremore correptus animique deliquium passus sum, et quum expergefactus essem, illa abierat. Post hoc tempus nullus mihi cibus placuit animusque meus imbutus fuit [1] hac imagine, qua pulcriorem vidi neminem neque magis dulciloquentem.

11. Abū-Abdi-*r*-Raḥmán Ḥātim ·ibn-·Onwān ·al-Açamm (i. e. Surdus) [2], incola Balc*i*. 170.

Unus omnium maxime notus erat abstinentia a rebus mundanis [3] et humilitate, et insignis erat continentia a rebus illicitis victuque tenui. Verba ejus de abstinentia et de mansuetudine in corpus collecta sunt. Retulit traditiones auctoritate Šaqiq*i* ·al-Balḫ*i* et Šaddād*i* ·ibn-Ḥakīm ·al-Balḫ*i*, ipsiusque auctoritate retulerunt Ḥamdān ·ibn-Dī-*n*-Nun et Moḥammad ·ibn-Fāris, ambo Balḫ*ienses* [4]. — Adiit Ḥātim Bagdād*um* tempore Abū-Abdi-*l*-láh*i* Aḥmad*is* ·ibn-Ḥanbal [5], ejusque consuetudine usus est. Dicuntur Ḥātim*um* Bagdād*i* convenisse urbis incolae eique dixisse: Tu, Abū-Abdi-*r*-Raḥmáne, 171
etiamsi non es Arabs, tamen unumquemque, qui tecum disputat, ad silentium redigis. Undenam hoc fit? Tria sunt, inquit, quibus vincam adversarium meum. Et rogatus quaenam illa essent, dixit: Laetus sum ubi recte dixit adversarius, et tristis sum ejus causa ubi erravit, meque comprimo quominus me ignorantem ei ostendam [6]. Quae quum Aḥmado ·ibu-Ḥanbal essent perlata: Laus Deo sit, inquit, quam sapiens est ille vir! — Dixit Abū-Ça·far ·al-Harawī [7]: Fui aliquando cum Ḥātimo, quum peregrinationem sacram facere decrevisset. Quum autem Bagdād*um* venisset mihi dixit: Abū-Ça·fare, convenire cupio Aḥmad*um* ·ibn-Ḥanbal. Percontati igitur ubinam habitaret ad illum perreximus pulsatisque foris quum egrederetur dixi: Abu-Abdi-*l*-láh*e*, en fratrem

1 Haec formae 2ae verbi شرب (nam in Cod. hac forma scriptum est) significatio lexicis est addenda.

2 Herb. in voce *Hatem*. Dicitur ibi Ḥātim mortuus esse a. 237, (p. C. 851-2), sed auctoritas additur nulla.

3 Vocabulum زهد in libro *Ta·rīfāt* (ed. Constant.) ita explicatur: الزهد فى اللغة ترك الميل الى الشى وفى اصطلاح اهل الحقيقة هو بغض الدنيا والاعراض عنها وقيل هو ترك راحة الدنيا طلبا لراحة الاخرة وقيل الورع — هو ان يخلو قلبك مما خلت منه يدك ex eodem libro explicatum invenias in lex. Freytagii.

4 De quatuor his traditionariis nihil inveni, nisi quod legitur apud Herbelotium v. *Schakik*.

5 Ibn-Call. ed. de Slane T. 1. p. ٢٣, An-Nawawī ed. Wüstenfeld p. ١٤٢, alibi.

6 Haec formae 6 verbi جهل significatio lex. addatur.

7 Neque de hoc quidquam novi. Apud Meursingium quidem in libro Sojutii *de Interpretibus Korani* memoratur vir quidam hujus nominis, sed is quum anno 381 mortuus esse dicatur idem esse ac noster vix potest.

tuum Ḥātim*um*! Abū-Ǧa'far ita narrare perrexit: Salutavit eum Ibn-Ḥanbal eique adventum gratulatus postquam comiter eum exceperat: Dic mihi, inquit, Ḥātime, quo constet liberum esse neque aliis hominibus obnoxium? Cui ille: Tribus, Abū-'Abdi-'l-lāhe, rebus. Quaenam, inquit, eae sunt? Ut des illis, inquit Ḥātim, opes tuas, neque accipias opes illorum; utque tribuas illis jura sua neque ab illis repetas jus ullum, utque denique feras illorum reprehensiones neque reprehendas illos qualemcumque ab causam. Tunc Aḥmad*um* oculis defixis terram digitis percussisse dixit, deinde vero caput sustulisse et dixisse: Gravia ea sunt profecto, Ḥātime. Huuc vero ei respondisse ter repetitis verbis: Utinam viam salutis ingrediaris! — Roganti cuidam: Quibusnam fundamentis nituntur res tuae? respondit: Quatuor. Quod vitam non relinquam antequam integra mea mihi portio data sit eaque nemo fruetur nisi ego ipse; quodque quando fatum meum futurum sit nescio, et quod a Deo ne minimum quidem temporis punctum absum. — Dixit: Si emissarius[1] tibi assideret, ut scripto dicta tua mandaret, profecto ab eo caveres: jam vero quum adscendant ad Deum ab eo tamen non caves. — Dicenti cuidam: Pervenit ad me fama te transire deserta sine viatico, respondit: Imo, cum viatico ea transeo: viaticum meum in his quatuor tantum rebus constat, alterique roganti quaenam illae essent? Video, inquit, totum muudum regnum esse Dei, omnesque creaturas esse ejus servos et familiam, et omnia quibus ad propositum perveniamus[2] omnesque res vitae necessarias esse in Dei excelsi potestate; videoque Dei imperium extensum per totam Dei terram[3]. Dixit ei vir ille: Macte viatico tuo, Ḥātime! transibis eo ad refugia vitae futurae[4]. — Narravit Ḥātim: Proposui mihi ubi Mecc*am* advenissem gyrum circum Kab*am* facere, precesque fundere 172.
donec me vires deficerent, et omne quod mecum haberem eleemosynis impendere. Quum igitur Mecc*am* advenissem preces fudi, gyrumque feci donec me vires deficerent: haec duo perficere potui; tertium non potui. Sic desciveram ab obedientia ab una parte, dum liber[5] a peccato eram ab altera. — Etiam hoc narravit Ḥātim: Nivibus Balc*ae* aliquando coelo delabentibus domi

---

[1] Verba صاحب الخبر in Lexico Freytagii non explicantur, sed video ea in Chrestomathia Arabica Sacyi, V. 1. p. 197 ita verti: *chargé de l'espionnage.*

[2] Non satis accurate definitur سبب in lex. Freyt. Est enim vulgari loquendi usu, ut legimus in libro Ta'rīfāt, اسم لما يتوصل به الى المقصود, ex qua significatione omnes illae, quae in lexico inveniuntur, locutiones facile explicantur.

[3] Non dubito, quin legendum sit الله. Male in Cod. scriptum et typis expressum est نافذ pro نافذا.

[4] Facetia in eo est, quod *desertum* et *refugium* eodem in lingua Arabica vocabulo significantur.

[5] De hac significatione verbi نجى, si attendimus crebram verborum ultima ı cum iis, quae ultimam semivocalem habent, permutationem, satis constare videtur.

meae tres dies remansi cum sociis meis. Et ego his: Narret mihi, inquam, quisque vestrum, quaenam res maxime se sollicitum reddat. Quod quum fecissent, neminem inter eos esse apparuit, quin vellet hac sua sollicitudine liberari. Tum vero eos sibi dixisse: Sollicitudo tua, Abū-'Abdi-*r*-Raḥmáne, quaenam est? Respondi me sollicitum reddere quod nemini commiserationem moveret vir ille qui portaturus esset victum meum quum nix tam alte jaceret. Quae dum dicebam advenerat homo panarium gestans, vestibus luto sordidis (nam lapsus erat), mihique dixit: Cape hunc panem, Abū-'Abdi-*r*-Raḥmáne[1]! — Dixit Ḥātim: Foris profectus sum cum viatico idque in medio deserto periit, itaque idem fui foris domique[2]. — Roganti cuidam: Unde victum tuum capis? dixit: Deo sunt gazae coeli et terrae, sed hypocritae illud ignorant[3]. — Dixit: Quatuor mihi sunt uxores et novem filii, sed nullum est Satanae desiderium in quapiam re, quae ad vitam iis necessaria sit, me stimulandi (ut *scilicet* inhoneste mihi eam comparem). — Narravit etiam hoc: Quum aliquando Turcis obviam facti essemus et incursio inter nos fieret, dejecit me Turca quidam laqueo meque de equo deturbavit, et de jumento suo descendens in meumque pectus considens barbam hanc promissam arripuit cultrumque ex ocrea eduxit, quo me mactaret. Sed, per Dominum meum! non erat animus meus penes eum cultrumve ejus, sed erat tantum penes Dominum meum, expectans quid secum ejus decretum afferret. Et dixi: Domine, si decrevisti de me ut hic me mactet, obedientiam praesto: tuus enim sum et possessio tua. Quumque ego ita compellarem Dominum meum et Turca in pectore meo sederet meamque barbam prehensam teneret, Moslim*us* quidam sagitta guttur ejus feriit, adeo ut de me delapsus sit; et ego eum aggressus cultro manui erepto jugulavi. Hanc ob causam animi vestri penes Dominum vestrum sint, ut videatis de miraculis favoris ejus quod non videtis apud patres neque matres vestras. — Dixit Abū-Bacr 'al-Warráq[4]: Ḥātim 'al-Açamm est 173.
Loqmán hujus populi. — Narratur mulier ad Ḥātim*um* venisse, eumque aliquid rogasse, et eodem temporis puncto accidisse, ut crepitum ventris emitteret. Quo quum pudore afficeretur mulier, dixit Ḥātim: Tolle vocem tuam! seque sponte surdum simulavit. Hoc dicto gaudens mulier enm non audivisse crepitum dixit. Hinc invaluit de eo nomen surditatis. — Venit ad eum vir, dixitque, Quaenam, Abu-'Abdi-*r*-Raḥmáne, res caput est devotionis ejusque medium et ultimum? Cui hic: Caput, inquit, devotionis est fiducia in Deo, et medium ejus patientia et ultimum sanctitas[5]. Misereatur ejus Deus, qui exaltetur!

---

[1] Ipse alius malum suo anteposuerat, non se esurire dicens, sed sibi commiserationem movere si quis forte cibum allaturus esset: quod si etiam socii illi fecissent, eodem modo sollicitudine sua cito fuissent liberati.

[2] Nam domi etiam unde viveret non habebat. [3] Verba sunt Qor. Sūr. LXIII:7.

[4] Fortasse idem est, atque ille quem memorat Herb. s. v. *Warrak*.

[5] Vid. vocabuli explicationem ex *Ta'rīfāt* ap. Freytag in Lex.

III. Abū-ʾOmar ·al-Ḥāriṯ ·ibn-Miskīn ·al-Miçrī [1] cliens [2] Moḥammad*is* ·ibn-Raijān ·ibn-ʾAbdi-l-ʾAzīz 196.
·ibn-Marwān.

Vidit ·*a*l-Laiṯ*um* ·ibn-Saʿd [3], eique quaestiones proposuit. Audivit Sofjān*um* ·ibn-ʾOjaina ·al-Hilāl*ium* [4], ʾAbdo-*r*-Rahmān*um* ·ibno-l-Qāsim ·al-ʾOṯaqīu*m* [5] et ʾAbd*a*l-láh*um* ·ibn-Wahb ·al-Qorašī*um* [6]. Retulerunt ejus auctoritate omnes Miçrī*i*. Erat ICtus sectae Mālik*i* ·ibn-Anas [7] (gratum cum habeat Deus), praeeratque scholae, quam tristibus temporibus ·al-Mamūn Bagdād*um* transtulit. In carcerem eum conjecit ·ab-Maʿmūn, quod negaret Qorʾān*um* esse creatum [8], captivusque Bagdād*i* remansit usque ad ċalīfa*tum* Ġaʿfar*i* ·al-Moṯawakkil*i*, qui eum et reliquos, qui in carcere erant, liberavit. Bagdād*i* traditiones docuit et postea Miçr*am* reversus est. Per diploma judicis munus ei demandavit ·al-Moṯawakkil, eoque munere functus est ab anno 237 (p. C. 851—52) ad annum 245 (859—60), quum munere est privatus. Quum Bagdād*o* Miçr*am* profectus esset moestissimus fuit Abū-ʾAlī ·ibno-l-Ġauzī, scripsitque ad Saʿdān*um* ·ibn-Jazīd, qui Miçr*ae* habitabat, querens de 197.
moerore, qui se occupasset desiderio ·al-Ḥāriṯi. Scripsit autem in margine inferiore suae epistolae:

Quemcumque fidelis amici oblivisci faciat discessus, ego ejus non obliviscar umquam.
Separarunt nos fata et ardet desiderio et amore ignis tristitiae in pectore.

Rescripsit ei Saʿdān ·ibn-Jazīd:

Heus tu, qui quereris nobiscum quod disjunctus sis ab amico et longe ab eo diftans! [9]
Sufficiat tibi Dei familiaritas: cum eo enim si versatur homo, homo felix est.
Omnis consuetudo cum aequalibus cessat: sed Dei familiaris in omne aevum vivit.

Natus est ·al-Ḥāriṯ ·ibn-Miskīn anno 154 (p. C. 771) et mortuus est die 27 mensis Rabīʿ I

---

[1] Ad-Dahabī *Tabakāt ·al-Ḥoffāt* ed. Wüstenfeld. cl. 8 n°. 108.

[2] De hac clientela v. de Slane in Praef. ad Vol. II v. angl. Ibn-Ċall., et de Sacy *Chrest. Arab.* I, p. 396. sq.

[3] Ibn-Ċall. p. ٩١٣, Nawawī p. ٥٢٩. [4] Ibn-Ċall. p. ٢٩٥, Naw. p. ٢٨٩ et de Sacy *Chr. Arab.* I, p. 400.

[5] Ibn-Ċall. p. ٣٨٩. [6] Ibid. p. ٣٤٩. [7] Ibid. p. ٩١٣, Naw. ٥٣٠.

[8] Satis notum est ·al-Mamūn*um* fuisse theologum admodum libere sentientem. De hac quaestione, an Qorān*us* fuerit creatus, quae in Ċalīfa*tu* ejus agitata sint, vide inter alios in Flügelii libro, *Gesch. der Araber*, Tom. II, p. 150.

[9] Freytagius male neglexit notam in Spec. Weyersii V. Cl. p. 119, ubi dicitur verbum نأى proprie significare *distitit, longius abfuit*, et in Ḥamāsâ a Ṫabrīzio explicari per بعد, id quod optime hoc nostro loco confirmatur. — Quod in textu Arabico ad hunc locum dixi longam accusativi terminationem in pausa corripi non posse, per errorem dixi, sed praestare puto explicandi rationem ibi propositam.

anni 250 (p. C. 864). Preces super eum dixit Jazid ibn-Abdi-*l*-láh, Emīr*us* Aegypti [1], et quinquies magnitudinem Dei super eum professus est. Misereatur ejus Deus, qui exaltetur!

IV. Abū-Moḥammad al-Ḥasan ibn Alī ibn-Abī-Tāleb (gratum eum habeat Deus.) 202.

Mater ejus erat Fātima, filia legati Dei (benedicat ei Deus eique salutem det.) Califa salutatus est die, quo mortuus est pater ejus Alī (gratum eum habeat Deus) [2]. Omnium hominum maxime legato Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) similis erat. Mansit Kūfae ad mensem Rabī*um* I, anni 41 (p. C. 661), interfecitque Abdo *r*-Raḥmán*um* ibn-Molgam [3]. Dicunt eum hunc gladio percussisse, hunc autem manu eum a se removisse, sed manum ipsi amputatam esse et humi lapsam. Tunc contra Moāwijam profectus obvius ei factus est loco quodam regionis Kūfensis, factaque pace tradidit ei imperium eumque Califam salutavit die 25 mensis Rabī I. Dicunt Ḥasan*um* ab illo accepisse quinquagies centena millia drachmarum. Deinde Medīnam rediit. Dicitur vulgo Ḥasan pacem fecisse cum Moāwijā Adroḥ*i* [4], mense Ǧomādā I, et ab illo accepisse mille denarios. Haec omnia refert *ad*-Daulābī [5] in chronico suo. Califa*tus* ejus fuit sex mensium et quinque dierum. — As-Sa'bī [6] haec retulit: Adfui al-Ḥasano, quum imperium tradidisset Moāwijae et privatus factus esset. Laudavit ille Deum et postquam eum adorasset dixit: Porro, maxima prudentia est timor Dei et maxima stultitia rebellio [7]: et hoc imperium de quo contendimus ego et Moāwija non est nisi jus hominis, qui majus jus habet quam ego, vel jus meum, quod reliqui Moāwijae, ut pax fieret populo et liberaretur sanguis ejus, etiamsi noverim illud vobis fortasse bellum civile 203.
esse illaturum, fructusque in longum tempus delatum iri. — Retulit Sofaina [8]: Audivi legatum

1 De hoc agit Abū-l-Maḥāsiu (MS. Leid. N°. 374) p. 130. Praefectus fuit ab anno 242 ad annum 252. — In ejus vita noster appellatur الحارث بن مسكين ابو عمرو البصرى المالكى; ابو عمرو est etiam in *Tabakāt*, l. l.

2 Die 17 mensis Ramaḍān*i* anni 40 (Jan. 661): Abū-l-Fidā.*i Annales*, ed. Reiske, I, p. 338.

3 Interfector Alī*i*: Naw. MS. Leid. N°. 357, p. 276, Abū-l-Fida., l. l. p. 333, sqq.

4 *Géographie* d'Aboulféda, ed. de Slane, p. ٣٤٩.

5 Ibn-Ḳall. p. ٧١٣: mortuus est a. 320: appellatur etiam الدولابى: cf. Lobbo-*l*-Lobāb s.v.

6 Ibid. p. ٣٤٤: mortuus est a. 104.

7 Verba sunt Abū-Bacr*i*: vide hujus vitam, quae sequetur N°. XIV, et Freytag Prov. Arab. III, 1, p. 623, ubi tamen pro احمق الحمق est اعجز العجز, sed animadvertendum est utroque loco ab eodem auctore verba referri. — Paullo aliter rem narrat von Hammer, *Gemäldesaal* II, p. 7, sq.

8 Nawawī ٢٩٠. Appellatur ibi Safina, quum tamen ut hoc nostri Cod. loco ita etiam in Nawawī*i* Cod. Leid. scriptum sit Sofaina, nam non addita est verbis expressa vocabuli pronuntiatio.

Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) dicentem: Califatus post me stabit per 30 annos, quibus exactis erit rex vel plures reges. Fuit autem finis imperii ·al-Ḥasani (gratum eum habeat Deus) 30 annis et 13 diebus post initium Ċalifatus Abū-Bacri ·aç-Ṣiddīqi (gratum eum habeat Deus) — Mansit Ḥasan Medinae usque ad mortem, quae accidit mense Rabī·o I anni 49 (p. C. 669), quum natus esset 47 annos. Dicunt alii eum mortuum esse anno 50, quod verisimilius est. Preces super eum dixit Saīd ·ibno-l-Āç [1], sepultusque est in coemeterio ·al-Baqī· [2]. Dicunt eum sepultum esse juxta matrem suam (super eos ambos sit salus) — Dixit ·al-ʿOtbī [3]: Dicunt uxorem ejus Ġa·dam bint-al-Aš·aṯ [4] venenum ei dedisse, eum tamen in vivis mansisse duos menses et semel iterumque ex postica ejus parte pelvim sanguinis sublatam fuisse: dicere autem eum solitum fuisse: Saepius venenum bibi [5], sed non contigit mihi ex eo, quod contigit mihi hac vice. Mortuo autem Ḥasano Ġa·dam illam uxorem duxisse virum Qoraiš-iticum, ex illaque genuisse puerum, cui juvenes dicere solerent: Fili mulieris, quae conjugibus venenum dedit! — Quum Marwān ad Mo·āwijam scripsisset eum deplorans, hic ei rescripsit: Interficiam quemcumque, qui mentionem apud me faciet [6] Ḥasani. Quum autem hujus mors ei perlata esset audivit ṭecbīrum (*i. e.* exclamationem formulae *Allah ·acbar*, *Deus est magnus*), quem ipse repetivit et post eum imitati Syri [7]. Et dixit Fakiṯa bint-Qoraita Mo·āwijae: Refrigeret Deus oculum tuum (i. e. lactum, hilarem te reddat), Princeps credentium! quid est, de quo magnitudinem Dei profitearis? — Mortuus est, inquit, ·al-Ḥasan. An, inquit illa, Dei magnitudinem profiteris propter filium Fāṭimae, filiae legati Dei (benedicat ei Deus eique salutem det)? Per Deum, inquit, non laetitia de ejus morte ita facio, sed quia sic demum securus sum. — Eo tempore Damasci degebat ʿIbn-ʿAbbās [8] (gratum eum habeat Deus). Huic ad

---

[1] Apud ·an-Nawawīum, p. ٢٧١ vocatur سعيد بن العاصى.

[2] De hoc coemeterio legantur quae scripsit Burckhardt, *Reisen in Arabien*, p. 550, sqq.

[3] An hic est الشاعر البصرى de quo (m. a. 228) ʿIbn-Ċall. p. ٧٣٥, cujus erat liber carminum de mulieribus اللاتى احببن ثم ابغضن?

[4] Notus est ·al-Aš·at in historia Alīi I, p. 317. Vid. Abū-l-fidāi *Ann.* I, p. 317, et Nawawī p. ١٩٠.

[5] Significationis f. 1ae et 4ae verbi سقى ejus, quae est *venenum alicui bibendum dare*, plurima sunt exempla apud Quatremère *Hist. des Sult. Mamlouks*, II, p. 149.

[6] Verbi طاء forma 4 in lex. deest.

[7] Ante فكبّر ob vocabuli similitudinem excidisse credo alterum فكبّر. Vix enim Syri potuerunt edere clamorem propterea quod Mo·āwija audiverit ṭecbīrum, et ipse paulo post Mo·āwijae rogatur cur ṭecbīrum ediderit. Quid est الخضراء? Legendumne fortasse الحضراء, pl. a حاضر *praesens*? [8] Hujus vita sequetur N°. XIII.

se intranti Moāwija dixit: Ibn-Abbāse, scisne quid nuper acciderit in familia tua? Nescio, inquit, nisi quod videam te gaudio exsultantem, mihique perlatum sit te magnitudinem Dei profiteri eumque laudare. Mortuus est, inquit, al-Ḥasan. Ecce Dei proprii sumus: misereatur Deus Abū-Moḥammadis! Cui Ibn-Abbās: Per Deum, inquit, Moāwija! non obstruet sepulcrum ejus tuum sepulcrum, neque augebit vita ejus tuam vitam! Quodsi aliquid fecimus contra al-Ḥasanum profecto illud fecimus contra antistitem fidelium et sigillum profetarum. Deus nobis hoc in exemplum gratificatus est et hanc calamitatem restaurabit: et Deus nobis erit loco amissi illius. – Hoc mandatum dedit fratri suo al-Ḥosaino: Ubi mortuus ero, si potes, sepelito me cum legato Dei, sed si hoc tibi 204.
recusant, sepelito me in al-Baqīo. Al-Ḥosain igitur et domestici ejus arma cinxerunt exieruntque ut eum sepelirent juxta legatum Dei (benedicat ei Deus eique salutem det). Simul vero exiens Marwān cum libertis Omaija-darum, eos cohibuit, quominus illud facerent. — Narrant al-Ḥasanum (super eum sit salus) quum morti propinquus esset, dixisse: Efferte me in locum altum et amplum, unde prospiciam in regnum coeli. Quo quum elatus esset dixit: Deus, animum meum ipsius in censum apud te refero [1], namque omnium maxime apud me honoratus est. Inter ea autem, quae gratificatus est ei Deus, etiam hoc erat, ut animum ejus in censum referret. — Et scita [2] est historia, quam de eo narrat Abul-abbās al-Mobarrad [3], Marwānum Ibno-l-Ḥakam aliquando dixisse: Ardeo desiderio potiundi mula al-Ḥasani. Cui Ibn-Abī-l-Ātīq [4]: Si, inquit, eam tibi trado, an mihi triginta [5] opera praestabis? Maxime, inquit. Dixit Ibn-Abī-l-Ātīq: Ubi igitur vesperi ad te venient homines, praedicare incipiam de meritis Qoraiš-itarum, de al-Ḥasano autem nihil dicam. Tunc tu me hac de re vituperato. Quum igitur convivae sedem cepissent praedicare incepit de principatu Qoraiš-itarum. Et Marwān: Annon memoras, inquit, principatum Abū-Moḥammadis? huic enim hac in re competit quod nulli alii. Cui ille: Memoravi tantum nobiles, inquit, sed si memorassem etiam profetas profecto dedissem Abū-Moḥammadi, quod ei competit. Quum autem egrederetur Marwān ut equum conscenderet, secutus eum est Ibn-Abī-Ātīq. Cui al-Ḥasan: Estne tibi, inquit arridens, aliqua re opus? Et ille: Mula, inquit, tua in memoriam mihi venit. Intravit igitur al-Ḥasan illamque ei dedit. — Memoriae tradidit Ibn-Āyša [6], incolam quemdam Syriae narrasse: Intravi aliquando Medinam (super ejus incolas sit maxima benedictio et salus), ibique virum vidi mula vectum, quo neque facie, neque moribus, neque vestitu, neque jumento quem-

---

[1] Legatur nota de hoc verbo apud Hamakerum, *Wāqidī* p. 190.

[2] In textu pro طريف legendum est ظريف.

[3] Ibn-Ćall. p. ٩٩٤ et Wüst. in *Gött. Gel. Anz.* 1837. Mortuus est anno 285.

[4] Nihil de hoc viro inveni. [5] Cur triginta? [6] De hoc nihil novi.

quam vidi pulcriorem, ita ut animus meus eo caperetur. Roganti mihi nomen ejus dixerunt: Hic est ʾal-Ḥasan ʾibn-Alī ʾibn-Abī-Tālib (super eos ambos sit salus). Tunc odio erga eum impletus invidi Alīo, quod talem haberet filium. Et accedens, An tu es, inquam, filius filii Abū-Tālibi [1]? Respondit: Ego sum filius filii ejus. Vae tibi, inquam, patrique tuo! eosque conviciis petere incepi. Quum autem finem fecissem: Puto, inquit, te esse peregrinum. Et ego: maxime, inquam. Vade igitur mecum, inquit, et si opus tibi est deversorio, devertere te faciam apud me, vel si pecunia, te adjuvabo, vel alia re, opem tibi feram. Et quum reversus 205.
ab eo essem nusquam terrarum mihi eo quisquam acceptior erat, neque aliud egi cogitans de agendi ejus ratione erga me, meaque erga eum, quam ut gratias ei haberem, ipsoque pudore suffunderer. — Narravit Abū-ʾOmar Aḥmad ʾibn-Moḥammad ʾibn-ʾAbd-Rabbih [2] in libro ʾal-ʾIqd: Moʿāwijae ʾibn-Abī-Sofjān aliquando cum sociis suis consessum agenti nuntiabatur ʾal-Ḥasan*um* stare ad fores. Et Moʿāwija: Hic, inquit, si ad nos intrat, consessum nostrum turbabit. Marwān vero ʾibno-l-Ḥakam dixit: Admitte eum et ego eum ea rogabo, quibus respondere non poterit. Cui Moʿāwija: Non facies, inquit: illis enim viris verba quasi inspirantur. Itaque admisit eum. Quum autem intrasset et consedisset dixit ei Marwān ʾibno-l-Ḥakam: Cito attigit canities mystacem tuam, Ḥasane! Dicunt hoc fieri ex stupiditate. Non sic est, inquit ʾal-Ḥasan, ut tibi perlatum est: sed tribus Hāšim-itarum ore est bene olente et dulcibus labris, mulieresque nostrae sponte nos osculantur et per se: vos vero, tribus ʿOmaija-darum, gravis vobis est oris foetor, ita ut vestrae mulieres ora et labra sua ad tempora vestra avertant: hanc tantum ob causam canus fit nobis locus mystacis et barbae genarum. Dixit Marwān: Vel etiam per pravam fit vestram, Hāšim-itae, indolem. Quaenam est illa? inquit. Dixit: Libido venerea. Maxime, inquit: migravit libido venerea e mulieribus nostris et concessit in viros nostros, sed migravit libido venerea e viris vestris et concessit in mulieres vestras: et nullius pretii est ʿOmaija-dae mulieri nisi vir Hāšim-ita. Hisce iratus Moʿāwija dixit: Praedixi equidem vobis, sed audire noluistis, donec audiretis quomodo increpet familiam vestram et conturbet consessum vestrum. Exiit autem ʾal-Ḥasan (gratia Dei sit super eum), dicens:

Quinquaginta quinque hac mea vita bona spe peregrinationes de anno in annum sum aggressus,
Neque tamen in mundo attigi opima ejus, neque lucratus sum abundantiam ejus, quod cupiebam:
Jamque celeriter extendit ad me fatum manus suas, putoque me esse oppigneratum morti inopinatae.

---

[1] Nullus dubito quin in textu Arabico exciderit علي بن.

[2] Ibn-Čall. p. ۴۹, et versio Angl. p. 94 n°. 1: mortuus est anno 328: vide etiam Sacy, *Chrest. Ar.* I, p. 398, sq.

— Dixit ·al-Ḥasan (gratum eum habeat Deus) Ḥabībo ·ibn-Moslima ·al Fihrio: Multa agis sine obedientia Dei. Cui ille: Quod patri tuo fide praestanda ita agam, inquit, illud certe objicere mihi non potes. Minime vero, inquit, sed obedientiam praestas Moāwijae propter paucas opes mundanas: quodsi sustentaverit te in hac vita perdidit tamen religionem tuam. Si vero postquam male egisti confitendo aliquid boni dixisses, esses quemadmodum dicit Deus, eximius et eminens: Alii confitentur peccata sua et sic bonum opus cum malo miscent [1]; sed nunc es quemadmodum 206
dicit Deus eximius et eminens: Minime: sed potientur eo quod luerati sunt [2]. — Narrant sermones miscuisse ·al-Ḥasan*um* et ·al-Ḥosain*um* (super eos ambos sit salus), eosque sibi invicem alienatos esse. Deinde dictum esse ·al-Ḥosaino: Quid si fratrem adeas, est enim major natu quam tu? Quibus hic, Victoria, respondit, ejus est, qui sic incipit: ego vero nolo me victoriam reportare de fratre meo. Quae quum nuntiarentur ·al-Ḥasano, hic fratrem adiit eumque ut gratum se haberet rogavit. — Al-Ḥasan (super eum sit salus) lavatione sacra peracta colorem mutare solebat. Qua de re interrogatus dixit: Justum est eum, qui Deum adire velit, colorem suum mutare. — Gratum eum habeat Deus et contentum reddat! —

V. Abū-Moammar Śabīb-ibn-Śaiba ·al-Ċatīb ·al-Monaqqirī ·al-Baçrī [3]. T. II. p. 171.

Traditiones retulit auctoritate ·al-Ḥasan*i*, Moawijae ·ibn-Qorra [4], Atā*i* ·ibn-Abī-Rabāḥ [5], aliorum: ejusque auctoritate retulerunt ʿIsā ·ibn-Junos [6], Abū-Badr Śogā ·ibno-l-Walid [7], alii. Erat sermo ejus perspicuus et disertus. Profectus Bagdād*um* tempore ·al-Mançūr*i* cum hoc et postea cum ·al-Mahdio amicitia conjunctus fuit et liberaliter ab iis habitus honoratusque. — Narravit Śabīb: Proficiscebar in comitatu Abū-Ġafar*i*, Principis credentium, eique dixi: Lente, Princeps credentium! sum enim ʿEmīr*us* tuus. Vae tibi, inquit, ʿEmīro meo! Maxime, inquam: tradidit mihi Moāwija ·ibn-Qorra legatum Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) dixisse, qui maxime tardigradum habeat agminis

---

1 Verba Qor. Sūr. IX: 103.

2 Verba Qor. Sūr. LXXXIII: 14. In Epitome libri, cujus titulus كتاب تلخيص المتشابه, a concionatore Bagdadensi conscripti (MS. Leid. N°. 334) in voce حبيب hace de nostro leguntur: حبيب بن مسلمة بزيادة ها فهرى قرشى صحابى سكن الشام روى عنه زياد بن جارية.

3 Scribitur nomen relativum etiam Minqarī, ut docet auctor *Lobbo-l-lobābi:* utrum melius sit nescio. Ḍahabī in *Moštabih* nomen non refert. Vide de eo notam in vers. Angl. II, p. 3. Quod ibi narratur de consolatione quadam, huc fortasse pertinet praeceptum, quod legitur pag. sq. Pro شبيبة l.l. est شبّة, sed Wüst. pariter habet شيبة.

4 Ibn-Ċ. p. ۱۲. in vita Ijās*i*, ejus filii. 5 Ibid. p. ۴۴. 6 Naw. p. ۴۹۸. 7 *Ṭabakat ·al-Ḥoffaẓ*, cl. VI, N°. 81.

jumentum esse ejus Emīr*um*. Date ei jumentum, Abū-Ǧa'far inquit, hoc enim levius mihi est quam ut Emīr*um* meum se dicat. — Narravit etiam haec: Dixit mihi Abu-Ǧa'far cum essem Sāmarrae [1]: Breve praeceptum mihi da, Śabībe! Princeps credentium, inquam, Deus excelsus et eminens ubi distribuit opes mundanas tibi alta tantum et eminentia concessit: itaque etiam tu non contentus sis nisi animo tuo eadem in vita futura acquisiveris, atque ille tibi concessit in hac vita. Praecipio tibi igitur timorem Dei: bona mundana enim apud vos divertuntur, vobisque adimuntur et ad vos redeunt. Per Deum! inquit, concise et brevissime dixisti. Per Deum! inquam, si vel brevissime dixi, maximum erga te beneficium id est quod audivisti. — Exeunti Śabībo e domo ·al-Mahdī dixerunt: Quomodo reliquisti homines? Reliqui, inquit, intrantem 172.
sperantem et exeuntem contentum. — Dixit Ḥammād ·ibn-Salama [2]: Preces pro nobis dicere solebat Śabīb ·ibn-Śaiba in templo magno in morabbâ (*i. e.* vico quadrato) Abū-'Obaidi-*l*-lāhi. Quum igitur aliquando precibus matutinis nobis recitatis praelectisque capitibus 32 et 76 [3] Qor.āni conticuisset, surrexit vir quidam dixitque: Non retribuat tibi Deus pro me bonum: ego enim mane exieram ad negotium faciendum, quumque esset hora precum intravi precaturus et tam diu mansi donec praeterierit tempus meo negotio destinatum. Quid igitur, inquit, est tuum negotium? Advenio, inquit, ab ·aṭ-Ṭagro (?) propter commodum quoddam ejus. Promisi autem mane me Ċalīfa*m* aditurum ut hanc rem expedirem. Dixit Śabīb: Tecum vehar ad illum. Quum igitur cum eo equo vectus ad ·al-Mahdī*um* intrasset, huic rem exposuit historiamque narravit. Tum hic: Quid ergo vis? inquit. Ut voti, inquit, compos fiat. Itaque voti compotem eum fecit ·al-Mahdī darique jussit Śabībo triginta millia drachmarum, quas ei viro remitteret. His Śabīb de sua pecunia quatuor millia addidit, eique dari jussit quodcumque vellet dicens: Ne noceant tibi duo ista capita, mi frater! — Dixit ·al-Aṣmaī [4]: Erat Śabīb vir eminens eumque de negotiis suis incolae Baṣrae consulere solebant. Quotidie mane exibat equo vectus. Quoties vero mane exibat, primum aliquid

---

[1] Pag. ۱۱ ex Ǧauharīo sex nominis hujus urbis scribendi modos affert Ibn-Ċallicān: — سَرّ من راى — سُرّ من رآء — سآء من راى — سامرّا — سُرّ من راى. Jam quum vix alia urbs quam haec possit intelligi, et in Lex. Geographico saltem nomen سُمّارِيَة non inveniatur, non dubitavi in versione scribere Sāmarrae.

[2] De hoc vide vers. angl. I, p. 261 et II, p. 127 et Ham. *Ḥag.* p. 148.

[3] Inscriptio capitis 76is est الانسان — Verba Arabica ea sunt, a quibus caput incipit.

[4] Ibn-Ċ. p. ۴۰۳. Naw. MS. p. 267. Vid. etiam Ham. *Spec. Cat.* p. 39, Sacy *Chr. Ar.* I, p. 34, (mort. est a. 216).

cibi capiebat et deinde equitabat. Mirantibus mane cibum eum capere [1]: Maxime, inquit, famis vehementiam eo exstinguo pravumque oris odorem depello et idoneus eo fio operibus meis faciendis. Intellexi enim vacuum ventrem et cibi appetentiam impedire sapientem quominus negotia sua bene perficiat, eumque imparem reddere rebus suis agendis: vidi enim gulosum esse sine strenuitate, famem autem esse speciem morbi. Quare cibi tantum cape quantum appetitum a te removeat, quoque sanes morbum famis. — Adiit noster Solaimānum ibn-Alī, wezīrum, propter negotium quoddam, isque illi dixit: Juravi jam me hoc non facturum. Heus, Wezīre, inquit Śabīb, si nullum umquam jusjurandum juraveris, quod ruperis, non velim esse primus, qui te ad perjurium adigat: sed si melius quid vides, da piamentum [2]. Bona inquit, a Deo peto, et rem perfecit. — Dicebat: Qui audit sermonem a quo abhorret et tacet, id a quo abhorret a se removet: at respondens audit plura etiam de eo, a quo abhorret. [3]. —

VI. Abū-Bistām Śo'ba ibno-l-Haggāg ibno-l-Ward [4]. 179.

Cliens erat al-Isāqirge (?), cognominatus Abū-Bistām, origine Wāsitensis, domo Baçrensis. Vidit al-Ḥasanum [5] et Mohammadem ibn Sirīn [6], et audivit Qatādam [7], Junosum ibn-Obaid [8], Aijūbum [9], Cālidum al-Ḥaddā.um [10], Abdo-l-mālicum ibn-Omair [11], Abū-Isḥaqum as-Sabīum [12], Talḥam ibn-Moçarrif [13], aliosque bene multos hujus classis. Retulerunt ejus auctoritate

---

1 Solent enim fere Moslimi jentaculo non uti: cf. Lane, 1001 *Nights*, Cap. 2 N°. 17 et *Mod. Egypt.* (ed. 1836), I, p. 164.

2 De piando jurejurando vid. de Slane v. Angl. 1, p. 53, N°. 2. Ex cod. falso typis expressum est يمين pro يمينا.

3 Huic vitae in margine adduntur verba, quae protulit etiam Willmet apud Tydemannum in Consp. p. 42, in quo loco miror V. Cl. legisse ابن vel ابناء, quod nullum efficit sensum, quum tamen in Codice distinctis literis legatur ابتر.

4 Vide etiam de Sl. in vers. Angl. I, p. 493, N°. 8 (text Ar. p. ٣٥٢), et Nawawī p. ٣١٥. Bistām scripsi auctoritate Slanii, l. l. Tydeman in Consp. male dedit شعيب.

5 Hic est al-Ḥasan al-Baçrī: Ibn-Ć. p. ١٨٨; Naw. p. ٢٠٩; Sacy *Anth. gramm.* p. 304.

6 Ibn-Ć. p. ٦٣٥. Naw. p. ١٠٩. 7 Ibn.-Ć. p. ٥٩٧. Naw. ٥٠٩. 8 Naw. MS. Leid. p. 226.

9 Puto hoc nomen esse ejiciendum. 10 De Sl. vers. Angl. II, p. 588, N°. 5.

11 Ibn-Ć. p. ٤٠٠. Naw. p. ٣٩٩.

12 Ibn-C. p. ٥٣٤. Naw. MS. Leid. p. 227. 13 Naw. p. ٣٢٥.

Aijub as-Saḳṭijānī [1], al-Aṃaś [2], Moḥammad ibn-Isḥaq [3], Ibrahīm ibn-Sa'd [4], Sofjān aṭ-Ṭaurī [5], Śoraik ibn-Abdi l-láh [6], Sofjān ibn-'Ojaiṇa [7], alii. — Duabus vicibus Bagdād*um* profectus est, quarum una fratris cujusdam sui causa ob aes alienum in carcerem conjecti. Hujus tum causa adiit Abū-Ga'far*um* al-Mançūr*um*. Et dixit Sofjān [8]: Hicce Śo'ba illos adierat. Eo autem accedente: Hujus frater, inquit al-Mançūr, in carcere non est, jussitque ut ei aliquid daretur, quod tamen is non accepit donec Ćalīfa moreretur. Frater nempe ejus cibum emerat de cibo Principis, sed facta jactura cum sociis suis in carcerem conjectus erat propter 6000 denarios, qui ipsi dati erant. Quum vero Śo'ba 180.
intrásset ad al-Mahdī*um*, Princeps, inquit, credentium, recitavit mihi Qatāda auctore 'Omaijâ ibn-Abī-ç-Çalt [9], qui dixerit 'Abdo-l-láho ibn-Ġod'ān [10]:

> Utrum negotium meum memorabo, an cohibet me pudor tuus? indoles enim tua est pudor.
> Si quis quando te laudare cupiat, laus quam jam tulisti ejus inceptum excusat.
> Generosus es, quem non depellet neque aurora a generosa indole neque vespera.
> Terra tua est fertilis: colunt eam orphani, tuque iis coelum es.

Ne memores, Abū-Bisṭame, al-Mahdi inquit: jam enim illud novimus tibique morem jam gessimus. Reddite ei fratrem neque quidquam ei imponatis. Deinde al-Mahdi triginta millia drachmarum ei dedit, quae distribuit, milleque ei assignavit garibos [11] in terra Baçrensi: quum tamen Baçra*m* profectus quod sibi placeret inveniret nihil, urbem eam reliquit. — Dixit an-Naḍr ibn-Śomail [12]: Neminem vidi magis misericordem erga pauperes quam Śo'ba*m*, qui quotiescumque pauperem

---

[1] De Sl. vers. Angl. II, p. 588. N°. 6. Naw. p. ۱۷,

[2] Ibn-Ć. p. ۲۹۹. Naw. MS. 268. [3] Ibn-Ć. p. ۲۷۷. Naw. p. ۹۹. [4] Naw. p. ۱۳۲.

[5] Ibid-Ć. p. ۲۹۴. Naw. ۲۸۹. [6] Ibn-Ć. p. ۳۱۷.

[7] Vid. sup. pag 5, N°. 2. In vita ipsius dicitur contra nostri fuisse praeceptor, quod cum natu minor fuerit non est verisimile.

[8] Videtur esse Sofjān aṭ-Ṭaurī, qui Kūfae habitabat et saepe Ćalīfam adibat, quum contra alter Sofjān Meccae sedem fixerit. In his verbis tamen sine dubio mendum latet: puto aliquot verba excidisse. Etiam seq. تخصّه non bene intelligo.

[9] Naw. p. ۱۹۴, aequalis profetae.

[10] Weil l. l. 32 et Sacy *Chr. Ar.* II, p. 326 sq., ubi auctoritate Qamusi vocatur *Djodan*.

[11] Mensura s. certa quantitas frumenti et terrae, sc. pondus 4 قفيز s. 384 مد, *modiorum: Gi;* et Ager qui tanta frumenti copia conseri potest: *Zam.* — Gol. in *Lexico*.

[12] Naw. MS. L. p. 209: mort. a. 203 v. 204.

conspiciebat oculos in eum defixos tenebat donec e vultu suo evanuisset, et si in conclavi suo mendicus stabat, traditiones docere non pergebat donec ei aliquid esset datum. — Dicere solebat: Per Deum, melius ego sum moslim*us* in poesi quam in traditione: si enim Deum unice voluissem, profecto ad vos non venissem, et si vos unice Deum voluissetis, non venissetis ad me. Sed laudem diligimus, vituperationemque fugimus (:ideoque nos invicem petimus). — Mulo vectus quum aliquando obvius factus esset Solaimāno ibno-l-Mogīra [1], et hic de paupertate et egestate cum eo quereretur: Per Deum, inquit Šoʿba, nihil possideo praeter hunc mulum; et de eo descendens huic tradidit. Vendidit eum sedecim drachmis. — Mortuus est Baçra*e* anno 160 (p. C. 776—77) [2] 75 annos natus. Misereatur ejus Deus, qui exaltetur!

VII. Abu-Çālih Šoʿaib ibn-Ḥarb al-Madāyni [3].

Erat hic ex incolis Corāsān*i*. Audivit Šoʿba*m*, Sofjān*um* aṯ-Ṯaurī*um*, Zohair*um* ibn-Moʿāwija [4], alios. Retulerunt ejus auctoritate Mūsā ibn-Dāwūd aḍ-Ḍabbī [5], Jaḥjā ibn-Aijūb al-Moqābirī, Ahmad ibn-Ḥanbal, alii. Erat unus eorum, quorum memoriae traditae sunt pietas et integritas, jubendique ejus quod licitum, vetandi quod illicitum est potestas. — Narrat Šoʿaib ibn-Ḥarb: Quum essem in via, quae Meccam ducit, Hārūn*um* ar-Raśīd*um* vidi et mecum cogitavi: Officium 181.
tuum est ut jubeas et vetes: sed animus dixit: Ne facias, est enim vir potens, qui quando ei jusseris aliquid collum tibi amputet. Ego vero, non possum, inquam, quin hoc faciam. Quum igitur propius accessisset clamavi: Harūne, defatigasti copias et jumenta. Tunc ille: Prehendite hunc, inquit. Deinde ad illum delatus sum. Sedebat in sella manuque clavam tenens ferratam ea ludebat, et, Heus tu, inquit, unde es? Ex ignotis, inquam, hominibus. Unde? inquit, orbetur te mater tua! Ex peregrinis, inquam. Quid, inquit, te impulit, ut nomine meo me compellares? Tunc sibi in mentem venisse narrat quod numquam animum subiisset, seque dixisse: Deum compello nomine suo dicendo: Deus, Misericors: te non compellem nomine tuo? cur hoc vetas? Namque vidisti Deum excelsum in libro suo maxime acceptum sibi hominum nominasse Moḥammad*em* et cognominasse maxime sibi invisum hominum Abū-Lahab*um*. Haec ubi dixi Harūn liberari me jussit: et ita factum est. — Dicere solebat: Qui cupit res mundanas is se componat ad obsequium erga homines. —

---

[1] *Tab.* al-*Ḥoffāẓ*, Cl. V, N°. 48.

[2] Apud Ibn-C. l. l. mense Ragab, apud Naw. initio ejusdem anni, non anno sequenti, id quod male ex eo refert Ham. *Waq.* p. 181.

[3] Vid. de Slane, vers. Angl. I, p. 578. N°. 3, ubi tamen mortuus esse dicitur Madāyn*i*.

[4] *Tab.* al-*Ḥoffāẓ*, Cl. V, N°. 60. [5] Ibid. Cl. VII, N°. 61.

Uxorem ducturus feminam dixit ei: Mala sum indole. Pejor, inquit, te indole est, qui coegit te ut esses malus. Tu igitur es uxor mea, inquit [1]. — Dixit Sarī aṣ-Saqaṭī [2]: Quatuor homines in terra fuerunt, qui animo suo res licitas assequi conniterentur, quique corpus quoque nonnisi ad has adhiberent. Rogatus quinam illi essent, dixit: Wohaib ibno-l-Ward [3], Šoʿaib ibn-Ḥarb, Jūsof ibn-Asbāṭ (?)[4] et Solaimān al-Ćawwāç. — Dixit Šoʿaib: Profetam (benedicat ei Deus, eique salutem det) vidi in somnio [5], cum eoque Abū-Bacr*um* et ʿOmar*um*. Et dixit profeta: Hospitaliter eum excipiatis: est enim ḥāfiṭ [6] libri Dei, excelsi et eminentis. — Dixit etiam: Semel tantum per decem dies edi totiesque bibi. — Erat homo fiducia [7] et fide dignus. Mortuus est Meccae anno 199 (p. C. 814—15). Misereatur ejus Deus, qui exaltetur!

VIII. Abū-Wāyl Šaqiq ibn-Salima al-Asadī [8].

Vixit tempore legati Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) sed eum non convenit. Audivit 184.
ʿOmar*um* ibno-l-Ćattāb, ʿOṯmān*um* ibn-Affān, Alī*um* ibn-Abī-Ṭālib, Abdo-*l*-lāh*um* ibn-Masʿūd [9], Ammār*um* ibn-Jāsir [10], Ćabbab*um* ibno-l-Araṯṯ [11], Abū-Mūsā*m* al-Aš*arīum* [12], Osāma*m* ibn-Zaid [13], Ḥodaifa*m* ibno-l-Jamān [14], Ibn-ʿOmar*um*, Ibn-ʿAbbās*um*, Ćorair*um* ibn-Abdi-*l*-lāh [15], Abū-Masʿūd*um* al-Ançārī*um* [16], al-Moġīra*m* ibn-Šoʿba [17]. Retulerunt ejus auctoritate Mançūr ibno-l-Moʿtamir [18], al-Ḥakam ibn-ʿOtaiba [19], Ḥabīb ibn-Abī-Ṯābiṯ [20], alii. — Erat unus eorum, qui Kūfae habitantes

---

1 Nexus cogitationum hic esse videtur: Tu pejorem me reddis: atqui talem vim in viros non exercent nisi uxores: ergo tu mea uxor es.

2 Ibn-Ćall. p. ٢٨٤; mortuus est a. 251.

3 Nawawi, MS. Leid. p. 218: mort. a. 153.

4 Nihil de hoc neque de sequente inveni.

5 Notum est somnia ea, in quibus vir sanctus, profeta vel etiam Deus appareat, pro veris haberi ab Arabibus: de Slane, vers. Angl. I, p. 46, N°. 7. Adde Lane, *Thousand and one Nights*, I, p. 68 et 244 (ed. a. 1839), et *Modern Egyptians* (ed. 1836) v. 1, p. 271 sqq. — Aliud exemplum habes infr. N°. IX.

6 Vid. de Slane in praef. vers Angl. I, p. 22 et ipsius vers. p. 57, sq.

7 Adjectivum ثِقَة explicatur in vers. Angl. II, p. 20, et subst. in libro *Taʿrifāt* his verbis: هي التي تعتمد عليها في الاقوال والافعال. —

8 Naw. p. ٣١٨. — De pronuntiatione relativi vid. *Lobbo-l-Lobāb* in voce.

9 Ibid. p. ٣٦٩. 10 Ibid. p. ٤٨٥ et Ham. Wak. p. 114 sq. 11 Naw. p. ٣٢٥.

12 Ibid. MS. Leid. p. 266. 13 Ibid. p. ١٤٧. 14 Ibid. p. ١٩٩. 15 Ibid. p. ٣٥١. 16 Ibid. MS. Leid. p. 266.

17 Ibid. p. ٥٧٩: Hamakerus et Sacyus cum vocant Schaba, sed شُعْبَة etiam auctor Qamūs*i*.

18 Ibid. MS. Leid. p. 204. 19 Kufensis, in vita Talḥae ibn-Moçarrif, Naw. p. ٣٢٩.

20 *Tab. al-Ḥoffāẓ*, l. l. IV, N°. 5.

Madāyn*um* concesserint cum Alo (gratum eum habeat Deus) quum hic rebelles in Nahrawāno confecisset [1]. — Rogatus quem vidisset ita narravit: Quum pascerem oves familiae meae praeteriit me agmen hominum camelis vel equis vectorum measque oves dispersit. Tunc vir quidam adstans, Congregate juveni, inquit, oves ejus, quemadmodum ei illas dispersistis. Ego vero unum eorum secutus rogavi quinam esset iste homo, isque mihi respondit esse Profetam (benedicat ei Deus, eique salutem det). — Dixit al-Aṃaś: Dixit mihi Śaqīq ibn-Salima: Quid si me vidisses quum fugeremus Cālid*um* ibno-l-Walid die Bozaċae [2]: ipse decidi de camelo et collum fere fregi: et si mortuus essem eo die in ignem conjectus fuissem. Addidit se eo die undecim annos natum fuisse. — Habebat Abū-Wāyl tentorium ex canuis factum in quo ipse cum equo degebat: ad expeditionem bellicam proficiscens illud destruebat, rediens restituebat. — Dicere solebat al-Aṃaśo: Egregius dominus esset dominus noster, Solaimāne [3]! si tantam ei praestaremus obedientiam quantum rebelles erga eum sumus. — Dixit etiam: Audio homines dicentes: Dāniq et Qīrāt. Utrum Dāniq*i* (*i. e.* stulti) majori numero inveniuntur, an Qīrāt*i* (*i. e.* grana siliquae)? [4]. — Dixit Saʿīd ibn-Çāliḥ: Praeibat Abū-Wāyl funera nostra quum natus esset annos 150 [5]. Misereatur ejus Deus, qui exaltetur! —

IX. Abu-l-Faḍl Çāliḥ ibn-Abdi-l-Qaddūs al-Azdī [6]. 189

Cliens alAzd*i*, poeta. — Suspicionem de eo habuit al-Mahdī eum addictum esse sectae Zindiq*orum* [7], eaque de causa eum ad se ferri jussit. Qui quum adstans ipsum allocutus esset admiratus est al-Mahdī intelligentiae humanitatisque in eo copiam praestantiaeque, animique constantiam et amplitudinem judicii, eique libertatem concedi jussit. Quum tamen se convertisset redire eum fecit, et, Annon tu, inquit, dixisti:

---

[1] Abū-l-Fidā, I, p. 326, v. Hammers *Gemäldesaal*, I, p. 342.

[2] Nomen loci est, in quo Abū-Baer gentem Asad et Gatfān fugavit: al-Maidānī *Proverbia Arabica* ed. Freyt. III, p. 597. Melius dixisset *Ċālid*, quam *Abū-Baer*. Vide hujus vitam N°. XIV. — Çālidi vitam invenias apud Naw. p. ٢٣٤.

[3] Plenum nomen al-Aṃaś*i* est: Abū-Moḥammad Solaiman ibn-Mihrān.

[4] Dāniq est moneta duos continens qīrāt*os* et tertiam partem: vid. v. Hammer, *Ueber die Länderverwaltung unter dem Chalifate*, p. 151, sqq. Pro ولا legendum puto ولم.

[5] Mortuus est a. 79 (p. C. 698—9). *Nawawī*. Quod quomodo cum hac traditione componi possit, ego non video.

[6] Nihil de eo inveni, nisi quod narratur ab Ibn-Ċ. p. ٩٨٣ et ٥٧٣, in quorum locorum priore memoratur liber quidam ejus *de dubiis*.

[7] De Slane vers. Angl. I, p. 438 in nota, de hoc vocabulo relegat ad d'Herbelot *Bibl. Or.* v. *Zendik*, et Price, *Retrospect*, vol. II, p. 43 [sqq.]

Senex non relinquit mores suos donec obtegatur pulvere sui sepulcri;
Ignorantiam [1] deponens ad illam tamen redit, quemadmodum aegrotus recidit in morbum recidivum.

Dixi, inquit, Princeps credentium. Itaque, inquit al-Mahdī, si tu non relinques mores tuos, nos quoque mortis tuae sententiam feremus. Deinde comprehensus, interfectus, crucique affixus est juxta pontem. — Alii narrant versus nonnullos ejus ad al-Mahdium pervenisse, in quibus calumniaretur profetam (benedicat ei Deus, eique salutem det), et hunc illum arcessivisse et dixisse: An tu hos versus composuisti? Per Deum, illum dixisse, non feci, Princeps credentium, 190
neque dedi socium Deo ne unum quidem temporis momentum: Deum enim timeo. Tu vero, ne effundas sanguinem meum in re dubia. Namque dixit profeta (benedicat ei Deus, eique salutem det) nolite in rebus dubiis in aliquem animadvertere. Tum incepit ei praelegere Qor.ānum, donec misericordia motus libertatem Çāliḥo concedi juberet. Verum quum se convertisset: Recita mihi, inquit, qaçīdam tuam sīnīam. Quod ille faciens et perveniens ad verba sua: Senex non relinquit mores suos, ad mortem ċalifae jussu ductus est. — Inter qaçīdas Çāliḥi hujus, quae habentur pulcherrimae, qaçīda est, cujus hoc est initium:

Homo colligit et tempus distribuit, idemque semper resarcit quae casus dilacerant.
Pondera verba tua ubi loqueris, nam loquendo hominum ingenio praeditorum errores apparent [2].
Sunt homines, quorum ad maturitatem venit intellectus, qui innuant tantum ubi consilium ab iis petitur
et oculos dejiciant,
Donec unamquamque rem bene perspectam habeant, et videant cognoscantque quid dicant, et tum loquantur.

Haec quoque in illa inveniuntur:

Homines duobus operariis sunt similes, quorum alter moritur siti, alter aqua mergitur.
Homines victu quaerendo occupati sunt: nam studio iis opus est ut nutriantur.
Si nutrirentur homines pro ingenio plures videres dantes eleemosynas:
Sed beneficium Dei erga eos est: hoc est quod ampliatur et comminuitur.
Si obviam sibi fiunt funus et sponsa et mulierum plangentium lacrymas ex oculo stillantes vides,
Tacent qui sponsam sequuntur obstupentes, dum eos, qui funus sequuntur, loquentes vides [3].

---

[1] *Ignorantiam*, puto, opponit fidei cl. locutione الجاهليّة.

[2] Ante hunc versum excidisse videtur ومنهما, et وزن esse Imperativus poeticus.

[3] Ampla legatur descriptio pompae nuptialis (زفّة العروسة) apud Lane, *Mod. Egyptians*, I, ch. 6, et rituum funebrium ib., II, ch. 15.

Ex selectis ejus carminibus etiam hoc est:

Dives est cui satisfacit vita sua, non qui semper de praeterito moeret.

Ne te abjicias, si quando per fortunae vicissitudines contemtus sis: omnis profecto vir compensabitur eo, quod meruit.

Contemnit homo quod decidit in illudque invehitur, donec hoc ipsum ejus perniciei fiat causa. —

Dixit Aḥmad ·ibn-Abdi-*r*-Raḥmán ·al-Mo·abbar [1]: Vidi Çāliḥ*um* ·ibn-Abdi-l-Qaddūs in somnio ridentem et lactum, et rogavi eum: Quid tibi fecit Deus et quomodo evasisti eo, quo damnatus eras [2]? Deveni, inquit, ad dominum cui nullum secretum ignotum est, isque me accepit misericordia sua. Et ·al-Mo·abbar, Nunc, inquit, video te crimine vacare quo damnatus es. — Interfectus est anno 167 (p. C. 783—84). Misereatur ejus Deus, qui exaltetur! 191.

X. Abū-Josair Çāliḥ ·ibn-Boŝaīr ·al-Qārī [3], cognominatus ·al-Morrī, ex incolis Baçrae.

Traditiones retulit auctoritate ·al-Ḥasan*i*, Moḥammad*is* ·ibn-Sirīn, Bacr*i* ·ibn-Abdi-*l*-láh, aliorum. Retulerunt ejus auctoritate Ŝaga· ·ibn-Abī-Naçr, Ŝoraiḥ ·ibno-*n*-No·mān ·al-Ġaulıarī, Affān ·ibn-Moslim [4], alii. Homo erat pius et integer. — Al-Mahdī aliquando eum ad se arcessivit. Hanc rem Çāliḥ ·al-Morri ita narrat: Intravi ad ·al-Mahdī*um* Roçāfae et ante eum stans: Princeps, inquam, credentium, perfer, per Deum immortalem, illud quo alloquar te hodie. Ille enim homo Deo proximus est, qui maxime perfert asperius ejus dictum [5] sincerum continens monitum. Oportet eum, cui est propinquitas cum legato Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) hereditate etiam mores ejus accipere eumque sequi ducem. Deus autem hereditate tibi donavit, ut ita instructus sis scientia et lumine argumentorum, ut excusatio tua tibi praecisa sit (si illud non facias). Et si in speciem argumentum afferre aggrediaris, quo non valida existit demonstratio a parte Dei, descendet in te ira Dei, eaque eo gravior, quo majorem simulaveris ignorantiam vana ei specie afferenda. Scias autem legatum Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) adversarium esse ejus, qui dissentiat secum de doc-

---

[1] Nihil de hoc inveni.

[2] De verbo رمى *damnare, accusare* significante notam vide ap. Quatremère, *Histoire des Sultans Mamlouks*, T. I, P. 2, p. 168 sq. ubi est etiam hoc exemplum, كان مرميا بالزندقة.

[3] De hoc, ut de Bacr*o*, Ŝagā·*o*, Ŝoraiḥ*o* nihil inveni.

[4] *Tab.* ·*al-Hoffāi*, Cl. VII, N°. 63.

[5] Legendum fortasse لفظا.

trina sua, quam ejus judicia diffament [1]: cujus autem adversarius est Mohammad (benedicat ei Deus eique salutem det) ejus adversarius est Deus. Itaque ad litigationem cum Deo et cum legato ejus argumenta tibi para, quae spondeant te salvum evasurum, aut para te perniciei, die resurrectionis eum ultimum judicio se stiturum sciens, qui cupidine prostratus sit, primum vero eum, qui maxime sequatur librum Dei, hujusque Profetae (benedicat ei Deus eique salutem det) traditionem. Tui autem similis non superbiat vehementiorem rebellionem contra Deum reddens, sed malam ejus actionem par bona sequatur, quae pro eo contra illam testis fiat [2]. Bene haec perfer, sicut ego quoque bene officio sum functus. Dixit lacrymasse ·al-Mahdīum sibique 192
aliquid dono dari jussisse, se vero non accepisse. Scriba quidam se haec omnia in commentariis ·al-Mahdiٔ scripta vidisse narrat. — Dixit Affān ·ibn-Moslim: Venimus in cubiculum Çāliḥiٔ ·al-Morrīٔ eum visitaturi, dum occupatus erat in narrando. Erat quum narrare inciperet, tamquam territus vir, qui tibi per tristitiam multasque lacrymas timorem injiceret, vel tamquam orba mulier. — Captivus erat mulieris cujusdam ex tribu Morrae ·ibno-l-Ḥārit ·ibn-Abdi-l Qais. Mortuus est Çāliḥ anno 196 (c. 811—12.) Misereatur ejus Deus, qui exaltetur!

XI. Mater credentium Āyša bint-Abī-Bacr ·aç-Çiddīq (ambos gratos habeat Deus).

Uxorem eam duxit legatus Dei (benedicat ei Deus, eique salutem det) Meccae, tribus ante 225
fugam annis. Dicitur eam duxisse ante Saudam. Accepit eam ab ejus patre, et dote eam donavit tanta, quanta donaverat Saudam [3]! Erat quo die eam uxorem duxit sex, vel, secundum alios, septem annos nata. Ingressus est ad eam mense Šawwāl post fugam, septimo mensis die, quum nata esset novem annos. Nullam praeter eam uxorem duxit virginem. Quum moreretur legatus Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) nata erat 18 annos, ipsaque mortua est sub ċalifatu Mo·āwijae, anno 58 (p. C. 677—78), quum 67 annos esset nata, et sepulta est in coemeterio Medinensi ·al-Baqīo. — Mortua Āyšâ (gratam eam habeat Deus) cum nuntiatum esset Mo·āwijae eam defleri ab ʿIbn-ʾOmaro (gratum eum habeat Deus), huic, Lacrymisne, ille inquit, feminam prosequeris? Lacrymis, inquit ʿIbn-ʾOmar, Matrem credentium prosequuntur tantum ejus filii, sed qui non sunt ejus filii, non faciunt. — Dixit ·al-Mobarrad narrasse Āyšam, quum Deus legatum

---

[1] Verba ينبزها احكامه non recte intelligo.

[2] Sequentia corrupta sunt: ante خوته aliquot verba excidisse credo, et in sequentibus ال vitio laborare.

[3] Hariri ed. de Sacy p. ٣١٠: لما زوّجوه الا على خمس مائة درهم اقتداء بما مهر الرسول زوجاته وعقد به انكحة بناته.

suum uxores suas eligere juberet, hunc sibi dixisse: Utrum Deum et legatum ejus vitamque aeternam eligis, an ornamenta et vitam mundanam? Se vero respondisse: Deus ejusque legatus mihi magis sunt accepti et vita aeterna. Tum se dixisse: Elegistine jam aliam ante me? Non feci eum dixisse, et quum rogaret ne etiam aliam eligeret, Deum se legatum misisse, qui minaretur, non qui noceret [1]. — Quum nuntiatum esset Āyšae homines quosdam conviciis petere Abū-Bacr*um* et ʿOmar*um* (ambos gratos habeat Deus) dixit: Si Deus agendi illorum rationem tollat, spero tamen eum non esse sublaturum hujus remunerationem. — Rogata quando male ageret homo, respondit: Quando bene se agere putat. — Dixit Moslim ibn-Dārā: Semper iniquam existimavi Āyšam quum diceret Profetae Dei (benedicat ei Deus eique salutem det): Vi ac beneficio Dei, non tua; donec rogassem Abū-Zaram ar-Rāzīum, isque mihi dixisset: Dedit laudem merenti. — Dixit Āyša (gratam eam habeat Deus) Ćansā.e [2]: Cur Ćaćrum tantopere deploras? non est enim nisi carbo in igne. Hoc ipsum, inquit, vehementiorem meum de eo dolorem reddit. — Interrogata num legatus Dei (benedicat ei Deus, eique salutem det) aliquando jocatus esset? Maxime, inquit. Anus quaedam, quae apud me erat, quum intraret legatus Dei (benedicat ei Deus eique salutem det), huic dixit: Ora Deum ut me incolam faciat paradisi. Paradisum, inquit ille, non intrant anus. Tunc vocationem ad preces audiens exiit, et revertens quum anus fleret, Quid ei est? inquit. Responderunt homines: Dixisti ei paradisum non intrare anus. Deus, inquit, commutabit eas, ut sint virgines, dilectas a conjugibus et ejusdem atque hi aetatis [3]. — Erat apud Āyšam discus uvarum, quarum unam accedenti mendico dedit. Ridentibus autem mulieribus, quae apud eam erant: Multarum, inquit, formicularum pondera in ea sunt, quam videtis, uva [4]. — Intrans ad Āyšam (gratam eam habeat Deus) ʿOm-Afā al-Abdija, Mater credentium, inquit, quid censes de muliere, quae filium quemdam suum parvulum interfecerit? Digna, inquit, est igne. Sed quid censes, inquit, de muliere, quae interfecerit viginti millia filiorum suorum adultorum? Prehendite, inquit, manum inimicitiae Dei [5]! — Āyša (gratam eam habeat Deus), quum ʿOtmān obsessus teneretur, Medīnâ profecta erat ut sacram peregrinationem perageret. Hac ex peregrinatione illa rediens quum esset Sarfi, qui locus est sepulcri Maimūnae, uxoris profetae (benedicat ei Deus eique

220

---

[1] Deest verbi نكى forma 4 in Lexico.

[2] De hac et fratre ejus Ćaćro, vid. de Sacy, *Chr. Arab.*, v. II, p. 413, et ejusdem *Anthol. Gramm.* p. 139.

[3] Cf. Qor. LVI: 36. Haec narratio aliunde etiam notissima est.

[4] Et ne unum quidem pondus Deum latet: Qor. X: 62, XXXIV: 3. — In iis, quae in Arabicis sequuntur, quum quaedam sint quae nondum bene me intelligere fateor, totam narrationem omittere malui.

[5] Confugite ad Deum, ut hic iram contra eam exerceat.

salutem det), perlatus est ei nuntius mortuum ʿOtmānum et Califam salutatum esse Alium. Qua de causa quum Meccam repeteret cum ea se conjunxerunt Talha [1], az-Zobair [2] et Marwān ibno-l-Hakam, qui quum Meccam venissent deliberaverunt de ratione, qua sanguinis ʿOtmāni vindictam instituerent, sibique Damascum ire proposuerunt, quoniam ibi esset Moāwija. Ab hoc tamen 227
proposito eos devertit Abdo-*l*-lāh ibn-Āmir, jussitque eos Baçram ire. Hic quum venissent ceperunt ʿOtmānum ibn-Honaif [3], praefectum Alii in hac urbe, eumque interficere voluerunt; sed obtestatus est illos per Deum, memoravitque societatem suam cum profeta Dei (benedicat ei Deus eique salutem det). Placuit igitur flagellis eum caedere, idque cum fecissent barbamque ei etiam abrasissent totumque caput usque ad supercilia et palpebras, eum in carcerem conjecerunt, interfeceruntque quinquaginta viros, qui cum eo aerario praefuerant, aliosque Alii praefectos. Hic vero, quum nuntiatum esset eos appropinquare, egressus est ut iis anteverteret et petito auxilio ab incolis Kufae Baçram profectus est: erat autem copia decem millium virorum. Et contra eum egressi cum incolis Baçrae Talha, az-Zobair et Āyša magnam pugnam commiserunt. — Dixit Abdo-*l*-lāh ibno-z-Zobair [4]: Evasi die cameli [5] triginta septem coopertus vulneribus hastis gladiisque factis. Numquam vidi aliquid simile huic diei. Nemo nostrum neque eorum fugit, et habenas cameli nemo prehendit quin occideretur. Ipse quoque eas arripui, et ab Āyšā rogatus quisnam essem, me Ibno-z-Zobair*um* esse dixi. Et illa, Nomina, profecto, inquit, quae plurimos orbos faciunt. Praeteriit me al-Aštar [6] eumque cognovi, amplexusque eum clamavi: Occidite me et Mālic*um*. Tunc ab utraque parte homines advenerunt et pugnarunt donec separati essemus, et ego amisissem habenas. Et audivi Ali*um* (gratum eum habeat Deus) clamantem: Pedum tendines camelo amputate, hoc enim ubi factum erit dispergentur. Tunc a viro quodam percussus camelus cecidit, ejusque mugitu nihil umquam gravius audivi. Ali (gratum cum habeat Deus) sellam ejus e medio occisorum afferri jussit (namque al-Qaqā [7]: et Zofar ibno-l-Hārit eam de tergo cameli abstulerant ad ejusque latus posuerant): et accedens Mohammad ibn-Abī-Bacr [8] cum Ammāro enisus est donec eam abduxerit: tum

---

[1] De Talhā ibn-ʿObaidi-*l*-lāh cf. Naw. p. ٣٢٣.

[2] De Zobairo ibno-l-Awwām, ib. p. ٣٥٠, de Sl. v. Angl. V. II p. 199. [3] Naw. p. ٣٠٧.

[4] Vita Abdo-*l*-lāhi hujus sequetur N°. XV.

[5] *Dies Cameli* s. pugna ad Carība*m* fuit die 10 mensis Gomādae I, a. 36, secundum Naw. (in vita Talhae, pag. ٣٢٤), qui addit وهذا لا خلاف فيه. Abū-l-fidā. tamen (Ann. I, p. 294) pugnam commissam dicit medio mense Gom. II, ejusdem anni. De sequentibus cf. Quatremère, *Mém. sur la vie d'Abdallah ben Zobaïr*, p. 19 sqq., et Hammer, *Gemäldesaal*, I, p. 326, sqq. [6] Ham. *Wāqidī*, p. 115, sq.

[7] Ham. l. l. p. 69. [8] Naw. p. ١١.

vero Mohammadi ibn-Abī Bacr manum ei inferenti: Quis, inquit Āyša [1], aggreditur uxorem legati Dei (benedicat ei Deus, eique salutem det)? Heus mea sororcula, inquit, dic ignem mundi. Et illa: Ignem mundi, inquit [2]. — Talha sagittae ictu interfectus est: genua sua ad equi latus applicans, per multum sanguinem profluentem enervatus, puero dixit: Abduc me et quaere mihi locum. Sed mortuus est antequam pervenit ad locum ad quem se abduci jusserat. — Az-Zobair occisus est in reditu in Wādi as-Sibā. Occidit eum Amr ibn-Ǧormūz, qui cum ejus 228
gladio quum ad Alīum venisset, hic illi dixit: Profecto hic est gladius, qui diu sollicitudinem injecit legato Dei (benedicat ei Deus, eique salutem det). Audivi eum dicentem: Exhilara interfectorem Ibn-Ṣafijae (*i. e.* az-Zobairi) nuntio ignis. — Āyša obsessa et capta est. Alī (gratum eum habeat Deus) Baṣram cum sociis profectus ibique ab incolis Ḫalīfa salutatus est. ʿOtmānum ibn-Ḥonaif liberavit, Āyšamque (gratam eam habeat Deus) apparatu instruxit, fratremque ejus Mohammadem cum ea proficisci jussit. Ipse quoque per aliquot milliaria eam comitatus est, filiosque per unum diem cum ea misit. — Dicunt incolas Medīnae certiores esse factos de die Cameli die Jovis ante solis occasum, eo ipso die, quo pugna commissa esset: hoc autem inde factum esse, quod aquila praetervolaret in vicinia Medīnae, quae rem quandam suspensam gestaret: hanc rem animadversam ab hominibus et delapsam esse. Fuisse autem manum cum sigillo, quod cudisset Abdo-r-Raḥmán ibn-Attāb [3]. Et sic eos quoque, qui habitarent inter Meccam et Medīnam, sive propius sive longius Baṣrâ remoti essent, casum cognovisse ex manibus et pedibus, quae ad eos gestassent aquilae. — Dicunt numerum occisorum de sociis cameli fuisse octo millia, vel, secundum alios, septendecim. Memoriae traditum est amputatas esse ad habenas cameli septuaginta manus, omnesque eas fuisse virorum ex Ṣabbaitis: quotiescumque viro manus amputata esset alius vir in locum ejus successit. Occisi autem sunt de sociis Alī (gratum eum habeat Deus) circiter mille. —

XII. Āfija ibn-Jazīd ibn-Qais al-Qāṣī.

Genius derivat a Qaḥtāno al-Kūfio. Al-Mahdī cum muneri judicis Bagdadensis praefecit in latere orientali. Traditiones retulit auctoritate Mohammadis ibn-Abdi-r-Raḥmān ibn-Abī-

---

[1] Malim additum esse in Cod. nomen Āyšae.

[2] Emendatio in textu proposita mihi propterea minus placet, quod videre nequeo quomodo scriba tale mendum scribere potuerit.

[3] Naw. p. ٣٨١, ubi eandem de manu delapsa traditionem refert. Minus accurate hic dicitur Abdo-r-Raḥmán cudisse sigillum, quum dicendum fuerat ejus fuisse manum, quae delapsa esset.

Lailā [1], al-Amaši, aliorum, et erat ex sociis Abū-Ḥanīfae [2] (gratum eum habeat Deus), qui hujus consessuum participes essent. Solebant hujus socii (erant autem Abū-Jūsof [3], Zofar [4], Dāwūd at-Tāī [5], Asad ibn-Amr et Alī ibn-Moshir [6]) miscere quaestiones, sique non adesset Āfija dicebat Abū-Ḥanīfa: Ne ponatis quaestionem donec adsit Āfija. Et si adesset, si cum illis consentiret, dicebat Abū-Ḥanīfa: Probate eam; sin minus, dicebat: Non probate. — Āfija homo erat intelligens et abstinens. Al-Mahdī eum et Ibn-Alātam (?) [7] ad familiaritatem suam admisit, et jus dicebant in Askaro-l-Mahdī in templo Mançūri: alter in inferiore, alter in superiore ejus parte. Āfija saepe Califam adibat. Sic aliquando eum adiit hora meridiana quum solus esset, petiitque ut admitteretur. Admissus autem quum peteret ut se a munere suo removeret, sibique scrinium, quod secum sumserat, cuicunque ipse juberet tradere permitteret, al-Mahdī praefectum quempiam eum oppressisse ejusque in jure dicendo potestatem infregisse ratus, hac de re eum interrogavit, sed quum nihil ejusmodi accidisse affirmaret, Quae igitur est causa, inquit, quod muneris vacationem petas? Huic ille, Venerant, inquit, ad me abhinc duo menses duo litigantes opulenti et nobiles in causa impedita et dubia: uterque documenta et testimonia afferebat remque argumentis probabat diuturna dignissimis cogitatione. Itaque cupiens fore ut litem inter se componerent mihique se offerret eos conjungendi ratio litigantes dimisi. Jam vero alter eorum fama accepit me adamare dactylos recentes saccharo conditos. Continuo igitur operam dedit ut hos compararet, nam vix coeperant maturescere, idque tanto numero quanto non colliguntur nisi Principi credentium, et tam pulcros, ut numquam viderim puleriores. Deinde janitori meo magnam drachmarum vim dedit, ut discum ad me portaret, dixitque se non curare utrum redderetur nec ne. Quum vero ad me veniret janitor rem non probavi eumque abire jussi ut discum redderet: et is dicto audiens fuit. Verumtamen quum die constituta uterque se stitisset aequo amplius eos neque animo neque oculo adspexi. Atque ita factum est, Princeps credentium, quum discum tamen non acceperim: quid tandem factum esset si omnino accepissem? Non securus sum quin aliquando fraudi me daturus sim in sancto meo munere et ita moriar; corrupti enim sunt homines. Itaque condona mihi, tu cui peccata condonet Deus! meque immunem habe. His dictis Califa morem ei gessit. — Tradidit Abdo-r-Raḥmán ibn-Abdi-l-láh patruum suum Abdo-l-Mālicum ibn-Qoraib al-Açmaūum dixisse: Eram aliquando apud ar-Rašīdum quum apud eum

---

[1] Ibn-Call. p. ٩٣٤.

[2] Ib. N°. 775, Naw. MS. p. 245.

[3] Naw. MS p. 267.

[4] Ibn-Call. p. ٢١٣, Naw. p. ٢٥٤.

[5] Herb. s. v. *Daoud al Thai*.

[6] Naw. p. ٤٤٤.

[7] Nowairi (M. S. Leid. N°. 2, h.) p. 75: محمد بن عبد الله بن علاثة وعافية (sc. المهدى) قضاته ابن يزيد وكانا يقضيان فى مسجد رصافة.—

judex accusaretur nomine Āfija. Quod cum ei res gravis videretur adduci illum jussit, praesen- 230
temque, dum magnus hominum in conclavi erat numerus, compellari, idque de quo apud se esset accusatus cum illo communicare incepit. Diutius protracto consessu factum est ut Princeps credentium steruutaret eique congratularentur omnes quicumque aderant praeter Āfijam: hic ei non congratulatus est. Tum ar-Rašīd: Quid tibi, inquit, est, quod mihi non congratulatus sis? Quoniam, inquit, Deum non laudasti, ideo tibi non congratulatus sum: nam Profeta (benedicat ei Deus, eique salutem det), quum apud eum duo viri sternutassent et uni eorum congratulatus esset, sed non alteri, et hic tunc diceret: Legate Dei, quid tibi est quod huic congratulatus sis, mihi non sis? Quoniam, inquit, hic laudavit Deum ei congratulatus sum, tu vero eum non laudasti, neque igitur tibi congratulatus sum [1]. Dixit ar-Rašīd: Redi ad munus tuum; quomodo enim tu, qui ne in una sternutatione quidem errati veniam dedisti, in alia re illud facias? Et demisit eum magno honore ornatum. Eos vero, qui eum accusaverant, lapidibus obrui jussit. — Tradidit Abū-l-Abbās al-Mançūrī auctoritate Ibno-l-Arābī [2] litigasse Abū-Dolāmam [3] cum viro quodam coram Āfijâ et dixisse:

Litigarunt mecum viri cupidi et ego cum iis litigavi per plenum annum,
Et Deus mihi non denegavit causae probationem, neque destituit me in inveniendo homoeoteleuto.
Quemcumque propter iniquitatem timeam, te non timeo, Āfija!

Cui Āfija: Deferam te inquit, ad Principem credentium. Cur facies? inquit. Quoniam, inquit, probrosis verbis me petis. Profecto te removebit, inquit, si facis. Cur? inquit. Quoniam, inquit Abū-Dolāma, contumeliam a laude distinguere nescis. — Mortuus est anno 180 (p. C. 796–97). Misereatur ejus Deus, qui exaltetur.

XIII. Abū-l-Abbās Abdo-l-lāh ibno-l-Abbās ibn-Abdi-l-Mottalib ibn-Hāšim ibn-Abd-Manāf, filius 234
patrui legati Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) [4].

---

[1] Hariri, ed. Sac. p. ٢١٧: سمّت العاطس وشمّته بالسين والشين جميعا دعا له قال ثعلب الاختيار السين وقال ابو عبيد الشين المعجمة اكثر والتسميت قولك يرحمك الله قال الرسول صلعم من عطس او تجشّا فقال الحمد لله على كل حال دُفع بها سبعون داءً اهونها الجذام وقال ايضا اذا عطس احدكم فليقل الحمد لله والذى يشمّته يرحمك الله وليقل هو يهديكم الله ويصلح بالكم.

[2] Ibn-Čall. p. ٩٩٠, Naw. MS. p. 273 (mort. a. 231), Ham. *Spec. Cat.* p. 31.

[3] Ibn-Čall. p. ٢٧٣ (mort. a. 161).

[4] Vid. de eo de Slane vers. Angl. I, p. 89, n°. 3, de Sacy in Ind. ad *Chrest.*, Ham. l. l. etc.

Quum moreretur legatus Dei (benedicat ei Deus eique salutem det) natus erat 13 annos. Is Deo preces pro illo obtulerat, eum rogans ut intelligentem illum redderet in religione et in interpretatione allegorica. — Quum Alī (gratum eum habeat Deus) nonnullos Zindīqos combussisset, Ibn-Abbās factum illud improbans: Vae filio Ommo-l-Faḍlae, inquit, rebus vilibus mersus est[1]. — Atā.[2] ejus auctoritate traditiones referens dicere solebat: Tradidit mihi Mare. — Maimūn ibn-Mihrān[3] cum mentio apud eum fieret Abdo-l-lāhi ibn-Omar et Abdo-l-lābi ibn-Abbās: Ibn-Abbās, inquit, juris magis peritus est. — Juris scientiam ab eo acceperunt permulti, in quibus Atā. ibn-Abī-Rabbāh, Tāwūs[4], Mogāhid[5], Saīd ibn-Ǧobair[6], Obaido-l-lāh ibn-Abdi-l-lāh ibn-Otba ibn-Masūd[7], Abū-ś-Śaṯā. Ǧābir ibn-Zaid[8], Ibn-Abī-Malīca, Ikrima[9], Maimūn ibn-Mihrān et Amr ibn-Dīnār[10]. — Memoriae traditum est Hāšim-itas aliquando convenisse Moāwijam, et hunc illos comiter excepisse[11] et dixisse: Per Deum, Hāšim-itae, opes meae vobis sunt datae foresque apertae; nullus 255.
a vobis casus opes meas avertit, nullaque vos domo mea petitio exclusit. Quum autem observarem meam vestramque conditionem aliquam vidi differentiam: vos etenim opinamini majus jus habere in illud, quod manibus teneo, quam me, et si donum vobis do, quo jura vobis debita exsolvam, dicitis: Dedit nobis minus quam aequum erat et justo minoris nos aestimavit. Sic ei similis fio, cui vi aliquid eripitur: nulla ei habetur gratia. Idque quum tamen juste erga vos agam quum loquatur vestrum quisquam, supplicesque vestros voti compotes faciam. Hisce dictis Ibn-Abbās assurgens: Per Deum, inquit, nihil nobis ante dedisti quam a te petimus, neque nobis fores aperuisti antequam eas pulsavimus. Quodsi nos opibus tuis destituas, Deus opibus magis pollet quam tu, foresque si occludas quominus intremus, avertemus nos a te. Quod vero hanc pecuniam attinet, non tibi magis propria est quam unicuique Moslimo. Nobis sunt duo jura, jus

---

[1] In lex. haec quidem significatio vocabulo, quod est هَنَاءٌ non tribuitur, sed ea vel addenda est vel hic legendum هَنَات.

[2] Ibn-Ćall. p. ۴۴۰, Naw. p. ۴۲۲. Idem *Maris* cognomen in precibus sepulcralibus ei dedit Ibno-l-Hanafija.

[3] Herb. in *Maïemon Ben Maharan.*

[4] Ibn-Ćall. p. ۳۲۷, Naw. p. ۳۲۳.

[5] Ibn-Ćall. vers. Angl. I, p. 568 N°. 8, Naw. p. ۵۴۰, ubi vocatur ابن جبر (M. S. L. خبر) quum ap. Ibn-Ć. sit ابن جبير.

[6] Ibn-Ćall. p. ۲۸۹, Naw. p. ۲۷۸.

[7] Ibn-Ćall. p. ۳۸۰, Naw. p. ۴۰۰.

[8] Naw. p. ۱۸۳, Sacy, *Anthol. Gramm.* p. 51.

[9] Ibn-Ćall. p. ۴۴۱, Naw. p. ۴۳۱.

[10] Ibn-Ćall. vers. Angl. 1, p. 580, n°. 4, Naw. p. ۴۷۵.

[11] De verbi significatione videantur exempla ap. Quatremère, *Hist. des Sult. Mamlouks*, 1, p. 164.

praedae et jus tributi [1]: praeda est ejus, quod diripuimus, tributum id quod collegimus, et si nullum in hanc pecuniam jus haberemus ne ungulam quidem quisquam nostrum te visitans attulisset. Satisne dixi, an pergam? Satis est, inquit: tuque ne amplius gannias neque latres. — Narravit al-Madāyni [2]: Amr ibno-l-Āç nundinis quibusdam Arabum assurgens Moāwijam ibn-Abī-Sofjān et Omaijā-das laudavit, resque suas Çiffini gestas memoravit. Tum Abdo-l-láh ibn-Abbās accedens (aderant autem Qoraišitae): Heus, Amre, inquit, dono religionem et probitatem tuam Moāwijae vendidisti eique dedisti quod in manu haberes, isque tibi decrevit quod in aliena manu esset, quodque a te accepit plus fuit quam id, quod tibi dedit, et quod accepisti ab eo, minus quam id, quod ei dedisti [3]: omnis autem contentus est eo quod accepit quoque donatus est. Quum vero Miçr in dominium tuum veniret praefecturam turbidam tibi reddidit donis gratuitis (a te exactis) aliisque rebus ingratis, ut si animam tuam in manu habuisses eam projecisses. Memorasti res gestas tuas Çiffini [4], sed, per Deum! nihil memorabile fecisti nuditatemque tuam in iis revelasti. Magna es lingua sed parva cuspide, postremus equitum in impetu, primus in fuga. Duabus manibus es praeditus, quarum unam non intendis ad bona, alteram a malo non detrahis; lingua prava, duobus vultibus, contristante uno, altero consolante. Et vero, per Deum, qui religionem suam opibus mundanis vendidit, quas alter praebet, dignus ille est, cujus longa sit poenitentia. Linguam habes, sed uteris ea ad sermonem 250
futilem, prudentiam sed nihil efficis, habes potestatem sed cum invidia conjunctam: minimum tuum vitium est maximum in aliis. — Dixit Ibn-Abbās (gratum eum habeat Deus): Nullum vidi virum, in quem beneficium contulerim, quin consuetudo nostra grata fuerit, aut quem malo affecerim, quin fuerit ingrata. — Dixit etiam: Quatuor sunt homines, quos remunerare nequeam: hominem, qui primus me salutaverit, eumque qui in cubiculo suo hospitaliter me exceperit, et eum cujus pedes pulverem excitent in auxilio mihi praestando: quod vero quartum attinet eum pro me nemo remunerabitur nisi Deus excelsus et eminens. Et rogatus quis ille esset, Homo, inquit, cui aliqua re perficienda opus sit quique totam noctem cogitans cuinam illam tradat tum me videat illa dignum mihique illam mandet. — Mortuus est Abdo-l-láh ibn-Abbās (gratum eum

---

[1] Vid. v. Hammer, *Ueber die Länderverwaltung, etc.* p. 114 sqq.

[2] Ibn-Čall. vers. Angl. I, p. 438, n°. 8, (mort. a. 225).

[3] Amr enim Aegyptum in praemium acquisiti per suas nequitias Čalifatus a Moāwijâ acceperat; Abulf. *Ann.* I, p. 326, et omnino p. 356.

[4] Mense secundo a. 37 pugna incepit et per 110 dies nonagesies signa collata dicuntur: ibid. p. 306, sqq.

habeat Deus) Tāyfī, attigitque aetatis annum septuagesimum. — Dixit Abū-Çālih [1], commentator: Numquam unius matris filios tam longe a se invicem sepultos vidi quam filios ·al-Abbāsī ex Ommo l-Faḍlā: ·al-Faḍl [2] mortuus est Damasci, Abdo-l-láh Tāyfī, ʿObaido-l-láh [3] Medinae, Qoṯam [4] Samarqandae, et Maʿbad occisus est in Afrīqījâ. — Dixit ·al-Wāqidī [5]: Mortuus est ʿIbn-Abbās anno 68 (p. C. 687—88) Tāyfī, annos natus 72. Visus ejus occaecatus erat. Preces super eum dixit ʿIbno-l-Ḥanafija [6] quaterque Dei magnitudinem professus est, et tentorium extruxit in ejus sepulcro. Misereatur ejus Deus, qui exaltetur! —

---

[1] Videtur idem esse qui apud Naw. MS. p. 257 vocatur ابو صالح السمّان الزيّات, quamquam ibi de ejus commentariis nulla fit mentio. [2] Naw. p. ٥٠١. [3] Ib. p. ٣٩٩.

[4] Naw. p. ٥١٣. De seq. nihil invenio nisi eum fuisse ʿAlīī praefectum in Baḥraino et Jamāmâ: v. Hamm. *Gem.* I, p. 326. [5] ʿIbn-Ċall. p. ٧١٠. [6] Ib. p. ٩٣٩, Naw. p. ١١٣.

THESES.

I.

In Ciceronis de Finibus IV: 1, 1 pro *etsi minus vere*, recte corrigitur *et, si minus vere* etc.

II.

In ejusdem de Officiis II: 10, 37 pro: *majoris partis animi*, legendum est: *majorem partem hominum.*

III.

In Virgilii Aeneid. VI, 473:

Quisque suos patimur Manes;

vere corrigitur

Quisque suum patimur Manes.

IV.

In Horatii Carm. IV, 6 ejicienda est stropha tertia, retinenda secunda.

V.

In ejusdem Epod. 4 quod legitur:

Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere,

non est sollicitandum.

VI.

In Plauti Capt. II: II, 35 pro nomine ficto, quod vulgo editum est *Thesaurochrysonicochrysides* bene Bothius legit: *Thesaurochrysonicocroesides.*

VII.

In Platonis de Rep. I, p. 341. B. ubi legitur *οὔτε γὰρ ἄν με λάθοις κακουργῶν, οὐτε μὴ λαθὼν βιάσασθαι τῷ λόγῳ δύναιο* Stallbaumius male *μὴ* delet.

VIII.

Ibid. p. 343. C. *ἀλλότριον ἀγαθὸν* male explicat idem *alienum bonum* i. e. *per alios* acquisitum, quum significet *quod aliis bonum sit, aliorum commodum.*

IX.

Ibid. l. IX, p. 585. A. bene Schleiermacherus pro *πρὸς τὸ ἄλυπον οὕτω λύπην ἀφορῶντες* scriptum maluit *τὸ ἄλυπον οὕτω πρὸς λύπην ἀφορῶντες.*

X.

In Aeschyli Persis versus 169,

ὄιμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν,

spurius est.

XI.

Sophoclis Philoct. v. 29 ut vulgo legitur:

τόδ' ἐξύπερθε, καὶ στίβου γ' οὐδεὶς τύπος,

bene se habet.

XII.

Item ejusd. Oed. Colon. v. 861, sq.

μὴ γὰρ αἵδε δαίμονες
θεῖέν μ' ἄφωνον τῆσδε τῆς ἀρᾶς ἔτι.

XIII.

Paucissima fuerunt, quae ex religione Aegyptiaca in Mosaicam sunt recepta.

XIV.

Cultus Jehovae in excelsis non fuit contra mentem Mosis.

XV.

